AUTHOR:

KEIL, HEINRICH

TITLE:

HENRICI KEILII OBSERVATIONES...

PLACE:

ERLANGAE

DATE:

1864

Master Negative #

92-81092-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Keil, Heinrich, 1822-1894.
Henrici Keilii Observationes criticae in Ciceronis orationem pro Plancio. Erlangae, typis J. P. A. Junge, 1864.
13 p. 28½ cm.


At head of title: Regiae Friderico-Alexandrinae literarum universitatis prorector D. Theodosius Harnack ... successorem suum civibus academicis commendat ...

No. 8 of volume of pamphlets.

Re

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11½x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 2-10-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202


Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. THEODOSIUS HARNACK

THEOLOGIAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT.

INSUNT

HENRICI KEILII

OBSERVATIONES CRITICAE IN CICERONIS ORATIONEM PRO PLANCIO.

ERLANGAE

TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH. JUNGE ET FILII.

MDCCCLXIV.





Suscipienti mihi hoc publicum scribendi munus, quo per quadraginta fere annos Ludovicus Doederleinius functus est, acerba sane recordatio dolorem morte viri egregii mihique coniunctissimi conceptum renovat. nec meam propriam esse tam luctuosam recordationem arbitror, sed communem mecum omnibus, qui aliquam partem nostrae universitatis et festi diei, ad quem celebrandum haec scribere iubeor, ad se pertinere volunt. nam cum et longo temporis spatio et praeclara hominis virtute in hanc adducti essemus consuetudinem, ut quae apud nos sollemniter agerentur cum Doederleinii nomine quasi necessaria quadam societate coniuncta esse existimaremus, hoc tempore non sine dolore solitam praeconis vocem requirimus. quamquam quid haec litterarum universitas, cuius famam ille laude nominis sui multis annis illustraverat, quid ipsae litterae, in quibus usque ad extremam senectutem studium et operam collocabat, quid amantissimorum amicorum circuli, quos mira sermonum suavitate delectabat, eius interitu se amisisse querantur, non est hoc loco explicandum. sed quoniam, dum annuas commentationes, quibus more maiorum et auctoritate senatus prorectores magistratum ineuntes commendare civibus academicis solebat, perlustro, nescio quo pacto perfectam propemodum viri imaginem mente et cogitatione conspicere visus sum, ab hoc tempore et ab hac scriptione non alienum esse iudicavi, priusquam ad rem propositam accederem, paucis exponere eum quaecumque per longam vitam in litteris agitabat hac praefandi occasione attigisse.

Itaque in magno numero commentationum varias observationes de non nullis veterum scriptorum locis proposuit, in aliis de grammaticis quaestionibus, maxime de significatione et origine vocabulorum, disseruit, in aliis partes quasdam ex Graecis vel Latinis scriptoribus electas in Germanicum sermonem convertit et brevi adnotatione illustravit. et variae quidem observationes in primis ad Sophoclem Horatium Tacitum, quos scriptores carissimos sibi ex universa antiquitate habebat, pertinent; rarius et

Suscipienti mihi hoc publicum scribendi munus, quo per quadraginta fere annos Ludovicus Doederleinius functus est, acerba sane recordatio dolorem morte viri egregii mihique coniunctissimi conceptum renovat. nec meam propriam esse tam luctuosam recordationem arbitror, sed communem mecum omnibus, qui aliquam partem nostrae universitatis et festi diei, ad quem celebrandum haec scribere iubeor, ad se pertinere volunt. nam cum et longo temporis spatio et praeclara hominis virtute in hanc adducti essemus consuetudinem, ut quae apud nos sollemniter agerentur cum Doederleinii nomine quasi necessaria quadam societate coniuncta esse existimaremus, hoc tempore non sine dolore solitam praeconis vocem requirimus. quamquam quid haec litterarum universitas, cuius famam ille laude nominis sui multis annis illustraverat, quid ipsae litterae, in quibus usque ad extremam senectutem studium et operam collocabat, quid amantissimorum amicorum circuli, quos mira sermonum suavitate delectabat, eius interitu se amisisse querantur, non est hoc loco explicandum. sed quoniam, dum annuas commentationes, quibus more maiorum et auctoritate senatus prorectores magistratum ineuntes commendare civibus academicis solebat, perlustro, nescio quo pacto perfectam propemodum viri imaginem mente et cogitatione conspicere visus sum, ab hoc tempore et ab hac scriptione non alienum esse iudicavi, priusquam ad rem propositam accederem, paucis exponere eum quaecumque per longam vitam in litteris agitabat hac praefandi occasione attigisse.

Itaque in magno numero commentationum varias observationes de non nullis veterum scriptorum locis proposuit, in aliis de grammaticis quaestionibus, maxime de significatione et origine vocabulorum, disseruit, in aliis partes quasdam ex Graecis vel Latinis scriptoribus electas in Germanicum sermonem convertit et brevi adnotatione illustravit. et variae quidem observationes in primis ad Sophoclem Horatium Tacitum, quos scriptores carissimos sibi ex universa antiquitate habebat, pertinent; rarius et

casu magis quam consilio ductus ad alios scriptores digressus est. quamquam autem omne hoc negotium, quod in difficilioribus locis vel explicandis vel emendandis versatur, per se leve esse intellegebat, sicut cum saepe alias tum in minutiis Sophocleis a. 1842 editis professus est, tamen ne levissimis quidem artibus suum honorem deesse in doctrina antiquitatis volebat. immo ita illis minutiis, quas dicere solebat, delectabatur, ut maximam caperet voluptatem, si vel una littera mutata vel verbis aliter, atque antea factum erat, inter se coniunctis et interpunctis novam sententiam praeter opinionem elicere contigisset. quo studio incensus plurima quidem, quae argutius quam verius disputata esse alii iudicarent, invenit, praesertim cum acri esset ingenio et ad nova invenienda parato; satis multa tamen communi adsensu conprobata invenias, alia, quoniam mentem ad cogitandum excitaverunt, cuius rei ille summus artifex erat, ad verum inveniendum viam monstraverunt. iam vero in significatione et origine verborum explicanda quantam operam quamque singularem consumpserit Doederleinius quis est qui nesciat? etenim, quo erat acumine et subtilitate disputandi, hoc vel maxime eum delectabat, propriam verborum vim et notionem definire et conparatione similium vocabulorum instituta vel tenuissimam differentiam explorare, diversa separare, contraria opponere, denique fines verborum accurata et paene dixerim scrupulosa diligentia discribere. cumque ardenti studio absconditas rerum causas investigare cuperet, non videbatur sibi satisfacere posse, nisi origine unius cuiusque verbi indagata ab ipso principio significationem repetivisset et quae usu similia esse cognovisset stirpis cognatione copulasset. hinc nata est illa etymorum et synonymorum ars magna cura et multis libris ab eo explicata. eandem igitur in academicis quoque scriptionibus saepius attigit, et quid in ea re sequeretur a. 1851, cum indicem vocabulorum idem significantium exhiberet, uberius exposuit. accesserat autem Doederleinius ad haec studia eo tempore, cum leges ac rationes, quibus nunc uti consuevimus, nondum inventae erant, neque postea initam semel viam omittere poterat. quo factum est, id quod fieri in tam incerto et prono ad errandum genere necesse erat, ut in ea quidem parte, quae est de etymologia verborum, saepe blanda opinionum specie falleretur et plures fere haberet sibi repugnantes quam adsentientes. verum tamen de usu sermonis et significatione vocabulorum multa ab eo ingeniose et facete inventa, multa de quibusdam veterum scriptorum locis prudenter disputata et, quod maxime sibi laudis vindicare solebat, iacentem tum synonymorum doctrinam excitatam et in scholas introductam esse omnes consentiunt. denique pro doctiore commentario non numquam Germanicam veterum scriptorum interpretationem exhibuit, hoc nimirum consilio ductus, quod non modo philologis sed etiam amatoribus doctrinae et philologiae, ut ait, serviendum putaret. itaque aliquot orationes Thucydidis, satiram Horatii, carmen Theocriti in Germanicum sermonem convertit. atque haud scio an nulla re apertius quam hac interpretandi arte declaratum esse dicam, quid in bonis litteris Doederleinii ingenium valuerit. ita beneficio naturae et adsidua exercitatione hanc laudem consummaverat. habebat enim praeter Graecae et Latinae linguae scientiam patrii etiam sermonis facultatem prorsus singularem, artis rhetoricae et poeticae intellegentiam, iudicium elegans et subtile, summam in verbis et sententiis aliorum imitandis religionem ac diligentiam. quibus virtutibus illud effecit, ut non solum quidquid in veteribus scriptoribus inesset elegantiarum accurate et subtiliter exprimeret, sed etiam puri et culti sermonis suavitate animos legentium teneret. vereor ne a proposito meo aberrare videar, siquid etiam de oratoria laude Doederleinii dixero. sed quia hoc dicendi munus cum scribendi provincia coniunctum habebat, omniaque quae per longum temporis spatium universitati nostrae vel laeta vel tristia acciderunt eius ore et voce celebrata sunt, non possum orationum nobilissimarum mentionem praetermittere, in quibus cum ars dicendi haud sane vulgaris tum ingenium omni humanitate excultum planissime adparebat.

Verum haec quidem hactenus. neque enim id sequimur, ut laudibus efferamus virtutem mortui, sed testimonium pietatis hoc officio, in quo nunc cum maxime versamur, expressum extare voluimus. nunc quoniam sic traditum accepimus, ut quae per hanc occasionem scriberentur ab usu academicae institutionis non nimium remota essent, hoc teneamus. igitur Ciceronis orationem pro Plancio nuper publicis scholis mihi enarratam elegi, de qua observationes quasdam illa opportunitate suppeditatas proponerem. est autem haec oratio ex earum numero orationum, in quibus quid accurata librorum manu scriptorum collatio et recta aestimatio ad firmandam criticam artem valeat nuper ab Halmio et Baitero in altera editione Orelliana luculento exemplo demonstratum est. nam cum olim et Gasparus Garatonius, vir de Ciceronis orationibus optime meritus, amplissimis commentariis eam orationem illustravisset, et post hunc Eduardus Wunderus singulari industria quaecumque vel ad verba emendanda vel ad res explicandas pertinere putabat congessisset, magnam partem tanti laboris inutilem nobis reddidit Baiterus. qui reperto optimo codice Tegernseensi (T), qui diu latuerat, ad hunc et simillimum eius Erfurtensem codicem (E) ita omnem librorum manu scriptorum memoriam revocavit, ut exceptis quidem paucis locis, qui antiquissimi scholiastae auctoritate nituntur, reliquam librorum molem iam abicere possimus. etiamsi enim sunt quae in recentioribus codicibus rectius quam in illis duobus scripta sint, tamen nihil horum non ita conparatum est, ut non facile ingenio librariorum

tribui vel nunc etiam coniectura inveniri possit. unum video superesse locum, de quo quis dubitare possit, an non recte Wunderus ex antiqua et incorrupta memoria scripturam recentium librorem repetiverit, 36, 88 *vinci autem improbos a bonis fateor fuisse praeclarum, si finem tum vincendi viderem, quem profecto non videbam. ubi enim mihi praesto fuissent aut tam fortes consules quam L. Opimius, quam C. Marius* etc.? ubi verba *quem profecto non videbam* in TE omissa in paucis ex deterioribus codicibus leguntur. haec igitur tam quam necessaria ad iustam sententiarum rationem efficiendam, propterea quod iis omissis ea quae sequuntur non haberent quo referrentur, defendit Wunderus. et apte sane interposita esse verba quivis concedet; necessaria esse non persuadet Wunderi disputatio. nam illud ipsum quod desideratur, finem vincendi in pugna contra improbos cives non fuisse, in condicionali sententia *si finem tum vincendi viderem* inest. quae quoniam ad exceptionem quandam, in qua omnis vis sententiae versatur, inducendam in fine enuntiati collocata est, ex hac reliqua recte aptantur. neque quidquam offensionis habet *enim* coniunctio in sententiis nectendis saepe ita adhibita, ut minus aperta propria argumentandi vi multis olim pro *autem* poni posse visa sit, de quo v. Hand. Tursell. t. II p. 382. itaque ne hic quidem maior est recentium librorum auctoritas, quam in reliquis omnibus, de quibus Wunderus, ut aliquam iis fidem vindicaret, operosa diligentia disseruit; sed omissis verbis, quae in illis ad explanandam sententiam adiecta sunt, id quod vidit Garatonius, bonorum codicum scriptura servanda est. atqui fide librorum quos dixi restituta et gravissimis scripturae vitiis coniectura virorum doctorum sublatis eo provecta est huius orationis emendatio, ut iam minus corrupta esse videatur quam aliae Ciceronis orationes, eaque quae nondum satis emendata sunt ad leviores fere res pertineant. ex his igitur non nulla nunc persequar, quorum partim in vindicanda optimorum librorum auctoritate partim in corrigendis illorum erroribus versabuntur.

Ex iis locis, quibus codicum T et E praestantia maxime perspicitur est 5, 13 '*desiderarunt te*', *inquit*, '*oculi mei, cum tu esses Cyrenis. me enim quam socios tua frui virtute malebam, et quo plus intererat, eo plus aberat a me, cum te non videbam*'. nam ita haec in illis scripta sunt, recentiores libri pro *cum te* habent *certe*, quo recepto olim editum erat *eo plus aberas a me, certe non videbam.* quae corrupta esse primus vidit Garatonius. sed et huic et iis qui post eum emendationem temptaverunt corruptela vulgatae scripturae videtur offecisse, quominus sententiam verborum intellegerent. *aberas a me, certe te non videbam* scripserunt Garatonius et Orellius, *aberas a me, mecum te non videbam* e coniectura Fritzschii Baiterus, *avebam, tamen te non videbam* Ieepius; unus Kayserus optimorum librorum scripturam non mutatam reliquit. quae

ipsa profecto genuina est. Cicero enim populum inducit querentem, quod Laterensis, cum Cyrenis esset, socios in provincia quam cives in urbe virtute sua frui maluerit, eumque haec dicentem facit, quo plus sua interfuerit talem virum oculis videre, eo plus sibi defuisse tum, cum adspectu eius carendum esset. insolentiore autem dicendi genere *eo plus aberat a me* usus est, propterea quod cum ex oppositis inter se verbis *intererat* et *aberat* tum ex ipso verbo *aberat*, quo et absentia hominis et desiderium populi indicatur, gratiam et acumen orationi quaesivit.

3, 8. *Itaque quamquam qua nolui ianua sum ingressus in causam, sperare videor tantum afuturam esse orationem meam a minima suspicione offensionis tuae, te ut potius obiurgem, quod iniquum in discrimen adducas dignitatem tuam, quam ut eam ego ulla contumelia coner attingere.* pro *quamquam*, quod ex deterioribus codicibus receptum esse videtur, in TE est *iam quoniam*, ubi *iam*, etsi defendi possit, si post *ianua* vel post *quoniam* transponatur, tamen ex solito in his libris errore potius ortum esse existimo; *quoniam* autem non erat cur reiceretur. nam postquam conparationem virtutis, qualem institui volebat Laterensis, non esse in reo et accusatore faciendam docuit Cicero, aliud substituit conparandi genus, quo non quid uterque virtute valeat, sed quibus rebus in comitiis aediliciis commendatus sit disceptetur. ea res autem cum in prima parte orationis tractetur, inexpectatum quidem aditum ad causam sibi paratum esse dicit, sed propter novum genus conparandi, quod sequatur, non verendum, ne contumeliosa evadat oratio. in hoc igitur sententiarum nexu ut aptissima est *quamquam* coniunctio, si in eo vim esse sententiae volebat orator, quod invitus ad hanc partem accessisset, ita in transitu ad rem propositam faciendo non minus recte dicitur *quoniam*, quo hoc indicatur, finito prooemio, cum praeter opinionem ad rem se delatum esse videat, dicenda esse quae res postulet.

28, 68. *Verum fac me multis debere et in iis Plancio. utrum igitur me conturbare oportet, an ceteris, cum cuiusque dies venerit, hoc nomen quod urget nunc, cum petitur, dissolvere?* quo modo cum reliquis tum Plancio debita gratia referenda sit imagine ab aere alieno desumpta ostenditur. in quo cum minus accurate inter se opposita sint *ceteris nomen dissolvere* et *hoc nomen dissolvere*, Wunderus pro *hoc* scribendum coniecit *huic*, quod receperunt Baiterus et Kayserus, nimis cupide illi quidem, ut mihi videtur. nam quod in altera parte additum est *quod urget* non solum omnem istam oppositorum concinnitatem, quam illi desiderabant, evertit, sed etiam ut *hoc* pronomen retineatur flagitat. quare siquis perfectam orationis aequabilitatem restituere velit, scribendum potius *cetera,* hoc est cetera nomina dissolvere. tametsi ne hoc quidem Ciceroni tribuo. nam quoniam *hoc nomen* nihil aliud est quam huius, hoc est Plancii, nomen, sicut

Koepkius interpretatus est, quamquam reliquam eius interpretationem non probo, potest illud ceteris, quibus suum nomen in tempore se soluturum esse promittit, recte opponi. nam propter illud ipsum quod additum est, *quod urget*, paullulum inmutata oratione pronomen, quod cum verbo coniungendum erat, *huic*, ad *nomen* translatum est.

Atque haec quidem, quamvis exilia sint, exempli causa sufficiant, ut intellegatur nunc etiam quaedam esse, in quibus bonorum codicum integritas nondum satis probata sit omnibus. nunc non nulla, quae facili quadam correctione egere videntur, subiciam. 11, 27 *in ea provincia legatus fuit C. Sacerdos: qua virtute, qua constantia vir! L. Flaccus: qui homo, qui civis! qualem hunc putent, adsiduitate testimonioque declarant.* intolerabile prorsus hoc dicendi genus est, quod primum duo legati, qui cum Plancio in provincia militante fuerint, laudantur, deinde quid illi de eo iudicaverint non coniuncta oratione subicitur, quasi hoc quoque ad eos viros laudandos, non ad commendandum reum pertineat. accedit quod ea quae de reliquorum virorum laudationibus et antea et postea dicta sunt iusto verborum nexu non carent, *quod, si adesset, non minus ille declararet —, cui cum fuerit probatissimus —, qui cum missi sint.* quare non dubito quin hic quoque addendum sit *qui* pronomen, ut scribatur *qui qualem hunc putent.**)

15, 37. *Quid? huiusce rei tandem obscura causa est, an et agitata tum, cum ista in senatu res agebatur, et disputata hesterno die copiosissime a Q. Hortensio, cui tum est senatus adsensus?* quae causa fuerit cur lege Licinia de sodaliciis iudices editicii constituerentur, cum eius rei ratio in lege indicata non sit, auctoritate senatus definitur. et cum duo posita sint argumenta, id quod priore loco indicatur dubitari nequit quin ad ea quae superiore anno, antequam lex ferebatur, in senatu acta sunt referendum sit. alterum illud de Hortensio ita interpretatus est Manutius, ut is, cum ante Ciceronem Plancium defenderet, in iudicio de sententia legis dixisset. in qua interpretatione ea quae sequuntur, *cui tum est senatus adsensus*, adparet intellegi non posse nisi de iis ipsis quae superiore anno acta sunt, eaque fuit Garatonii sententia. at si iis quae Hortensius hesterno die in iudicio dixit superiore anno senatus adsensus esse dicitur, non modo tempora miro modo confunduntur, sed etiam, id quod hoc loco prorsus

---

*) Ut hoc loco relativum pronomen a librariis omissum, ita falso additum esse existimo p. Sex. Rosc. 2, 6 *quae res ea est? bona patris huiusce Sex. Roscii, quae sunt sexagiens, quae de viro clarissimo et fortissimo L. Sulla, quem honoris causa nomino, duobus milibus nummum sese dicit emisse adulescens vel potentissimus hoc tempore nostrae civitatis, L. Cornelius Chrysogonus.* delendum videtur *quae* post *sexagiens.* neque enim ipsa bona Roscii, sed emptio bonorum ea res est, cuius mentionem factam non esse Cicero dicit.

necessarium erat, nihil novi adfertur. recte igitur Drumannus hist. Rom. t. III p. 99 Hortensium hesterno die in senatu de lege Licinia dixisse neque omnino patronum Plancii fuisse statuit. sed manet tamen in verbis *cui tum est senatus adsensus* ea difficultas, quod neque ad superius tempus, sicut modo dixi, referri neque de adsensu senatus, quem hesterno die Hortensius tulerit, id quod sententia flagitat, intellegi possunt, siquidem addito *tum* adverbio ad illud tempus, quod eodem adverbio praecedente indicatum erat, revocantur. quare delendum est alterum *tum* et scribendum *cui est senatus adsensus.* nihil autem saepius in archetypo ex quo TE ducti sunt accidit, quam ut vocabula paucarum litterarum vel singulae litterae neglegentia librariorum adderentur, praesertim si similia quaedam, ad quae oculi aberraverunt, vel paullo ante vel paullo post posita erant. praeter eum locum, de quo antea dictum est, eodem referenda etiam haec, quae, quia recte ab aliis tractata sunt, breviter indicabo. 9, 22 *tota denique nostra illa aspera et montuosa et fidelis et simplex et fautrix suorum regio;* ubi pro vulgata scriptura *denique nostra illa* TE habent *denique a nostra ita.* hinc profectus Baiterus *denique ea nostra ita* scripsit, in quibus non magis *ea* pronomen cum per se tum propter additum *nostra*, quam *ita* displicet. itaque nihil tribuendum est *a* litterae in TE adiectae, quae veteris librarii neglegentiae debetur, sicut 6, 14 *quod a populo supplicetur* in iisdem codicibus scriptum est pro *quod populo supplicetur. ita* autem recte in *illa* mutatum est, quamquam haud scio an illud quoque delendum sit, ut scribatur *tota denique nostra aspera.* simili errore *me* pronomen bis positum est 35, 86 *ego vero fateor me, quod viderim mihi auxilium non deesse, idcirco me illi auxilio pepercisse.* nam quod in veteribus editionibus et codicibus non nullis priore loco pro *me* scriptum est *mehercule* interpolatori deberi iam vidit Lambinus. neque cuiquam facile persuadebit Wunderus, qui miris disputandi artificiis usus *hercule* pro *me* scribendum esse coniecit. denique hoc vitio corrupta esse puto verba multis coniecturis iam pridem temptata 3, 7 *quid tu magni dignitatis iudicem putas esse populum?* nam ita in T scripta sunt; *quid tum an dignitatis* habet E. quamvis multa autem ad verba corrigenda proposita sint vel proponi etiam nullo negotio possint, tamen, cum ita conparata sit sententia, ut vix quidquam addi possit, quin vis verborum minuatur, nulla probabilior est correctio, quam ut deleto v. *magni* optimi codicis scriptura retineatur: quod ipsum nondum invento codice Tegernseensi suspicatus est Ernestius. nam *magni* ex prava scriptura sequentis vocabuli videtur ortum esse. reliquorum autem codicum et ipsius Erfurtensis scripturae ex coniecturis librariorum profectae sunt.

17, 43. *Et si quaesitor huic edendus fuisset, quem tandem potius quam hunc C. Alfium — edidisset.* leve quidem est, sed tamen non omittendum, quod in TE non *et si,*

sed *ut si* scriptum est. unde scribendum est *vel si*, quod et sententiae magis convenit et ab optimorum codicum scriptura propius abest. nihil enim frequentius esse in libris manu scriptis constat, quam ut *ut* et *vel* inter se permutentur.*)

31, 75. *De Cispio mihi igitur obicies, quem ego de me bene meritum quia te teste cognoram, te eodem auctore defendi? et ei dices 'quo usque', quem negas, quod pro Cispio contenderim impetrare potuisse?* optimorum librorum scripturam *contenderim*, pro qua ex deterioribus codicibus olim *contenderit* editum erat, ita defendit Wunderus, ut 'pronomen *ei* usitatissimo more pro *mihi tali* dictum esset'. et illud quidem de pronominis usu pervulgatum. neque tamen ea re tollitur quod unum in hac verborum structura offendit, quod praecedenti *ei* in relativa sententia prima verbi persona subiecta est. hoc enim et Latinitas et sani sermonis ratio postulat, ut, si cum relativo pronomine prima vel secunda verbi persona coniungatur, eadem persona in primaris enuntiatione sive ipso verbo sive pronomine aliquo, ex quo relativa sententia apta sit, indicetur. in demonstrativo autem pronomine cum primae personae significatio non insit, etiamsi illud ad loquentem referatur, sequitur ut hoc loco aut pro *ei* scribendum sit *mihi*, quod placuit Graevio, aut tertia verbi persona post *qui* recipienda. e quibus ut hoc, quod veteres librarii posuerunt, *contenderit*, probemus, non solum corrigendi facilitas suadet, sed etiam ea quae postea eodem modo dicta sunt, *ei quidem, qui pro uno laborarit* sqq. evincunt.

32, 78. *Quo quidem etiam magis sum, non dicam miser (nam hoc quidem abhorret a virtute verbum), sed certe exercitus, non quia multis debeo (leve enim est onus beneficii gratia), sed quia saepe concurrunt propter aliquorum bene de me meritorum inter ipsos contentiones, ut eodem tempore in omnes verear ne vix possim gratus videri.* post egregiam Garatonii de hoc loco disputationem non est quod in vulgata scriptura, quae deteriorum codicum auctoritate propagata erat, *concurrit propter aliquorum de me meritorum contentiones*, haereamus. Garatonius igitur hanc esse vidit verborum sententiam, concursu quodam contentionum inter homines de Cicerone bene meritos fieri ut duobus

---

*) Eadem correctio videtur adhibenda esse Cic. Tusc. disp. II 26, 62 *videmusne, ut apud quos eorum ludorum qui gymnici nominantur magnus honos sit, nullum ab iis qui in id certamen descendant devitari dolorem?* ubi pro *ut* Seyffertus et Heinius *et* scripserunt. quod quamquam defendi posse concedo, convenientius tamen et sententiae et structurae verborum est ut scribatur *vel:* cf. Cic. Brut. 10, 39 *videsne igitur, vel in ea ipsa urbe, in qua nata et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem?* nam ita, *vel in ea*, ibi quoque pro *ut in ea* recte scripsit Heusingerus.

inter se contendentibus atque adversariis eodem tempore gratificari non possit; et cum in tali sententia locum non habeat *propter* praepositio post *concurrunt* addita, hanc ille delendam putavit. frustra autem Orellius praepositionem ita defendere studuit, ut *concurrunt* ad eos quibus Cicero deberet referretur, 'concurrunt tamquam creditores mei', *propter contentiones* autem cum participio *exercitus* iungeretur. nam neque verbum *concurrunt* per se positum intellegitur, neque tam contorta verborum structura ferri potest, ut *propter contentiones*, sicut illi placuit, aliis interpositis ad verbum longius remotum revocetur. quare dubitari nequit quin *contentiones* nominativo casu dictum cum v. *concurrunt* coniungendum sit. sed quia vix credi potest in tam plana quidem sententia perversam praepositionem a quoquam interpositam esse, eam non puto eiciendam esse, sed corrigendam. videtur autem legendum esse *propriae*, quo hoc indicatur, contentiones illas omnino ad homines de Cicerone bene meritos pertinere, neque ullam in iis partem esse alienis ab illo vel inimicis.*)

Sed iam haec verba, de quibus modo diximus, quoniam olim interpolationis suspicionem moverunt, admonent ut levibus librariorum vitiis, in quibus adhuc versati sumus, omissis illo graviore vitio etiam orationem Ciceronis corruptam esse dicamus. nam cum ii qui antiquissimo tempore in Ciceronis orationibus operam collocabant non solum ad verba obscuriora interpretanda vel ad argumentum indicandum in marginibus codicum quaedam adscriberent, quae postea a librariis in continuitatem verborum temere recepta sunt, sed etiam ipsi explicandae vel amplificandae orationis causa non nulla adderent, haec omnia vulgo pro genuinis habebantur. et aliquam partem quidem eorum quae hoc modo addita sunt nunc etiam conparatis antiquioribus libris cum recentioribus certissimo deprehendere licet. sed mirum sane esset, nisi illo sive

---

*) Non omittam hoc loco in Erfurtensi codice verba transposita esse. qua de re ita monuit Wunderus var. lect. ex cod. Erfurt. p. 101 'huius in periculo] post haec verba sequuntur statim sine interpellatione ea quae leguntur § 78 *esse gratum crimineris — ne vix possim gratus videri.* tum post *videri* sequuntur quae huc pertinent sine interpunctione *non significarem dolorem meum? — mea causa esse facturos.* post ea sequuntur verba *quod me. sed haec ego meis ponderibus.* praeterea inter verba *huius in periculo* et quae librarius deinde posuit *esse gratum criminaris* interposita sunt haec verba: *hic inter.*' nam quae eo loco, a quo ista perturbatio orta est, adscripta sunt, *hic inter*, admonent me similis adnotationis, quae in Varronis rerum rusticarum libris, ad quos his diebus studia nimis diu intermissa revocavi, in antiquissimo codice adscripta erat post praefationem libri secundi, *hic intermisimus.* quibus verbis lacunam a librario indicatam esse vidit Victorius. idem igitur codicis Erfurtensis librarius voluit, nisi quod ab hoc ea quae intermissa erant postea scripta sunt, in Varronis codice perierunt.

interpretandi sive interpolandi studio, quod certe olim non minus quam postea vigebat, ipsum archetypum, ex quo optimi codices ducti sunt, corruptum fuisset. copiose hoc genus in oratione pro Plancio persecutus est Wunderus, post hunc Bakius in aliis etiam orationibus in glossematis indagandis acerrimum studium posuit. quorum uterque etsi multa a Cicerone abiudicavit, quae cur ab eo scripta esse negemus iusta causa non est, tamen de re ipsa nemo est qui dubitet. sed quod in primis in hac emendandi ratione per se lubrica fieri oportet, ut quid in una quaque oratione vel in quoque codice peccatum sit quaeratur et totum genus certioribus finibus, quoad eius fieri potest, circumscribatur, longioris disputationis est, quam quae hoc loco suscipi possit. itaque exempla, quae quidem mihi certa esse videntur, in hac oratione indicabo et de paucis, quae nondum satis emendata sunt, paullo uberius disputabo.

Primus autem Manutius certissimis indiciis glossemate corrupta esse vidit haec, 6, 14 *nihil iam est quod populo supplicetur*, *nihil quod diribitio*, *nihil quod supplicatio magistratuum*, *renuntiatio suffragiorum exspectetur.* in quibus *supplicatio magistratuum* in margine ad v. *nihil iam est quod populo supplicetur* adscripta et deinde male in continuitatem verborum recepta esse rectissime suspicatus est Manutius. sed praeterea genetivus *suffragiorum*, quem Orellius delevit, Wunderus defendit, hoc loco in quo nunc positus est ferri nequit. nam quamquam etiam suffragiorum quandam renuntiationem in comitiis fuisse constat, tamen hoc loco renuntiatio nominis, id quod summum erat in magistratibus creandis, omitti non poterat. quare cum per se pateat, quo pertineat renuntiatio, neque probabile sit ex prava huius vocabuli interpretatione genetivum *suffragiorum* ortum esse, non eiciendus quidem genetivus, sed in suum locum restituendus est, ut scribatur *nihil quod diribitio suffragiorum*, *nihil quod renuntiatio exspectetur.* porro glossemata recte indagata esse existimo in his: 12, 29 *procul adparet*, *non excutitur* [*non in manus sumitur*]*;* 18, 44 *respuerent aures*, *nemo agnosceret* [*repudiarent*]; 25, 61 *quia commissi sunt iis magistratus* [*in quibus*] *re bene gesta triumpharint;* 26, 63 *nisi eum nimis in se iracundum* [*putabis*] *fuisse;* 32, 78 *an vero putas idcirco minus* [*libenter*] *iudices mea causa facturos.*

Sed apertius etiam pravum interpretis additamentum adparet in his, in quibus, ne longior fiat disputatio nostra, nunc adquiescamus, 33, 82 *quae cum ita sint*, *iam succumbam*, *Laterensis*, *isti tuo crimini*, *meque in eo ipso*, *in quo nihil potest esse nimium*, *quoniam ita tu vis*, *nimium gratum esse concedam*, *petamque a vobis*, *iudices*, *ut eum beneficio conplectamini*, *quem qui reprehendit*, *in eo reprehendit*, *quod gratum praeter modum dicat esse.* editores, propterea quod corrigendis quibusdam scripturae vitiis, quae olim ex deterioribus codicibus propagata erant, nunc bonorum librorum ope sublata sunt, nimis intenti fuisse videntur, aliud orationis vitium non animadverterunt. nam cum *in eo ipso* nihil aliud sit, quam 'in gratia referenda', manifestum est cum hoc *nimium gratum* coniungi non posse, nisi forte perneglegenter Ciceronem scripsisse putabimus. quare *gratum* priore quidem loco delendum est. videtur enim ad v. *nimium* interpretandi causa adscriptum esse. Cicero autem ipse id quod his verbis indicaverat, sicut facere consuevit, iis quae subiecit, *quod gratum praeter modum dicat esse*, accuratius explicavit. simillimum additamentum indagavit Wunderus 18, 45 *isto in genere et fuimus ipsi*, *cum ambitionis nostrae tempora postulabant*, *et clarissimos viros esse vidimus et hodie esse volumus quam plurimos gratiosos.* in quibus verbis quamquam additum in fine *gratiosos* facilius sane ferri potest, quam in eo loco, de quo modo disputavimus, *gratum*, propterea quod non necessario cum v. *isto in genere* coniungendum est, sed ultima sententiae pars, *et hodie esse volumus quam plurimos gratiosos*, separari ab antecedentibus partibus potest, tamen eam quoque sermonis neglegentiam rectius, opinor, librario quam Ciceroni tribuemus et *gratiosos* glossematis loco habebimus.

Restat ut Vos, commilitones humanissimi, hoc edicto certiores faciamus fasces academiae nostrae crastino die ad virum illustrissimum et consultissimum

D. RODERICUM STINTZING

iuris civilis Romani professorem publicum ordinarium, ordinis S. Michaelis equitem

prorectorem suffragiis collegarum creatum, clementia Regis nostri Augustissimi confirmatum, translatum iri. Is eodem die hora XI in aula academica munus suum publica oratione rite auspicabitur. Ad quam orationem prompto lubentique animo audiendam Vos invitamus atque ut frequentia et observantia Vestra illa sollemnia concelebretis Vos admonemus.

Erlangae die III mensis Novembris a. MDCCCLXIV.